



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nicolai Svsii E Societate Iesv Opvscvla Litteraria

Suys, Nicolas

Antverpiae, 1620

Scena II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69342)

Lyd. Tun' tanto coram numine impudens lasciuies?

Ego hic in hoc marsupio Plutum gero,

Vnà & salutem tuam, ô adolescens impie.

Tu tanto coram numine adhuc lasciuies?

Pist. Minimè Hercle. veneror hæc numina, & Ly-
dum meum,

Myrtam sacerrimum. Omnes. Vnà omnes sacra
facimus

Pluto & Lydo. Lyd. Salite præ gaudio. Cleom.
Quianam

Non Martem huc adfers sed Plutum: suos

Mars Salios habet, haud Plutus. Ly. Salite extēpulo,

Vel ne femūcia dabitur. Pist. Eia, salimus strenuè.

Lyd. Etiā adhuc, etiā adhuc, adhuc etiā, etiā adhuc.

Mn. Iuppiter omnesq; te dij perdant furcifer.

Præ lassitudine concidunt mihi genua.

Lyd. Sic preparatur epulis sua penus;

Eamus intro, triumphalem vt coenam vobis parem:

Nam fortiter agens hodie nostrum expugnaui senē.

SCENA II.

NICOBVLVS senex.

MESSENIO seruus.

Nicob. Malā rē ducit, multasq; sibi fabricat cruces,

Vxorem qui ducit domum, quiq; fabricat filios.

Mes. Pape! quis hic Vulcanus, filios qui fabricat?

Nicob. Ita equidem experior pridem. nam vxor mi-
hi domi est,

Quæ fel vincit & absynthium amaritudine, res
pessimas;

Quæ

Qua fumi adinstar semper abigit lacrymantē foras.
 In ganeā, ni fallor, filij sunt, qui meum
 Exenterant medullitus marsupium.
 Hos ego iam peruelim mihi obuios dari hodie,
 Exenterabo, & emedullabo penitus.
 Mess. Vt Aeacidius animis expletus senex!
 Vereor ipsis oculos miseris exorbeat,
 Vitamq; euitet. Nicob. Faciā Hercle sciant patrem
 Me esse, & sese filios: si fustem sumpsero,
 Mox expupillatos reddam verberibus. Mess. Equidē
 In Libya mauelim occurrere leoni & tigrī,
 Quā huic hodie seni. Nicob. Siccine me perdere,
 Rem meam decoquere, famam pessundare,
 Nepotari, impunel age Messenio, gradimus gradum?
 Mess. Ad quid: si pransum imus: si coenatum: eccere,
 Vel Pegasum praeuortam. Nicob. Tun' aciē hebetes
 Mei furoris, tuis caput obtundens iocis? Mess. Eho
 Iam carina haec ventris mei ipsa est vacuitas:
 Quid mirum si saburrā poscit, vt securiūs
 Velificetur nauis? Nicob. Saburrā fusiūs
 Dabo quantam neuelis. Mess. Sine obsecro:
 Haec cruda nimis est coena, atque stomacho nocet.
 Nic. Mox te elinguabo furcifer. Mess. Tuus ego sum.
 Si mutum mauelis mancipium: tu videris.
 Nic. Age, inquam, & Mnesilochum queramus mox,
 & Sosiclem.
 Mess. Nempe pedes non habent vt redditent domum.
 Nicob. Eamus, inquam, & ganeones pessimos
 Mox pessimis perdamus, vt decet, modis.
 Mess. Hoc est, quatuor iungamus indomitos equos.

Duos qui distrahant pedes, duos qui brachia,
 Tum illosce flagris incitabimus affatim
 Equos; qui validè neruis tendant omnibus
 Suum quod est rapere: tuos deartuare filios:
 Sic ex vno duplum habebis fœnori.

Oto ex duobus mox fient: nihilo minùs.

Nic. Sat filiorum diues sum, Messenio,
 Atque ex duobus malim vnum fieri, & bonum.

Mel. Nempe hoc fiet: vicissim comedet alter alterum:

Medium vbi comederit alter alterius,

Duos compingemus dein medios simul,

Et fiet vnus è duobus. Nicob. Tu furcifer,

Perge age iocari, ego ted, illosq; pariter

Fartum mox faciam, & in artocrea coquam,

Vt pasta vobis fiat contubernium.

Mel. Nō equidē volo tui animi exstinguere incendiū,

Here: optima res est, irasci pessimis;

Sed magis oleum flammis ingero quo ardeas.

Nic. Aetnam Hercule flabello irritat Pygmaolus.

Aetnam hoc gero pectore: euomam hanc in filios

Totam, quanta est: sequere huc, Messenio.

Mel. Laruas lemuresq; omnes modò qui loquitur
 senex,

Mox, Fili, mi fili: ne sic columbule,

Ne sic mi psittace: saccharum obiiciam tibi,

Comede, mi psittace, & deterge ocellulos:

Quid frustra sic meos violas ocellulos?

Hem prædam! Quàm sagax nasum senex habet,

Tam citò feras suis mouit cubilibus.

Molo sicum hic agam, dum aget senex venaticum.

SCE-